



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Monita ad eum Claudij Iaij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

epistola illa inscribitur data Coloniae quarto idus
 Septembris anno salutis humanæ 1547. animad-
 uertendum est, vel erratum in anno, cum esset sex-
 to scribendum, vel diem adscriptum, non quo ab
 autore condita, sed à Typographis edita est: qui &
 ad nouitatis gratiam diutius retinendam, non ra-
 rō tempus in titulis editionum anticipant. Nam
 anni quadragesimi septimi autumno Romæ iam
 Canisius erat, vti mox referemus. Quia verò latius
 in dies eius nomen inclarescebat, totque se ille da-
 bat in opera pietatis ampla, atq; magnifica, Patri-
 bus curæ fuit prouidere, ne quid humanæ glorio-
 læ (vt est illa maximi cuiusque boni callida insidi-
 atrix, ac blanda pernicies) in ea sese decora furtim
 insinuaret. Eoque Claudius Iaius nominatim ad
 eum VVormatia egregia monita scripsit, admo-
 nens, vt ingenij omnes, & linguæ, ac styli labores
 in Deum sincerè vnum referret, neu se docēdi mu-
 nere, dicendique, & scribendi vsque eo premi sine-
 ret, vt inde priuatæ studia pietatis obruerentur, &
 otium precandi, contemplandique deesset offici-
 is: Verùm S. Thomæ Aquinatis exemplo actionis
 inter se, & contēplationis studia temperaret. Quæ
 monita studium declarant potius, & sollicitudinē

*Monita ad
 eum Claudij
 Iaij.*

Patrum

Patrum, ad perfectum expoliēdi alumni, quam et
necessaria forent, ad optimum sua sponte enixè,
rectaq; tendenti. Obtulere tamen hanc ei oppor-
tunitatem, vt quod vltro faciebat, impensius cu-
raret admonitus: atque gradum sapientiæ, & feli-
citat̃s vtrumque consequeretur: tum per se vi-
dens quæ oporteret, tum rectè monentibus pa-
rens.

*Legatio pr̃-
ma Canisij
Leodium.*

At religio Catholica cūm laberetur Coloniae
quotidie in deterius Hermanni vitio, domiq; inde
esset exitium, vnde subsidium expectari debuerat,
ad proxima conuersi auxilia Clerus, & Academia
consilio, consensuque communi ad Leodiensem
Antistitem, & Clerum, qui vnus est Coloniensi
Archiepiscopo subiectorum, rebus præcipitanti-
bus Canisium opem oratum legant. In comune-
re dum moræ aliquantum trahit Leodij, quia la-
boriosorum hominum caritatem procuratio fe-
rè vna nequaquam implet, & inuitabāt eum feriæ
Domini natalitiæ, tum Canonici Leodienses, di-
cere instituit ad populum ea omnium approbati-
one, suaque tolerantia, vt sæpe die eodem binas
conciones haberet. Legatione perfunctus, Colo-
niamque ineunte septimo & quadragesimo eius
seculi